3. Viertel 13. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36537
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



peccatum. Paulus. Caro enim concupiscit adversus spiritum. Hec est enim Eva que decepit Adam, et Dalila que decepit Samson, et mulieres ille que deceperunt etiam Salomonem. Tercia dicitur a tuendo, quia resistendo suggestionibus tuetur nos a peccato. Paulus. Spiritus concupiscit adversus carnem. Paulus. Castigo corpus meum et cetera. Hec est Iob, qui ait uxori: Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Quarta terra dicitur a terminando, quia in ea terminata est culpa et inchoata gratia. Unde et de ea legitur: que cunctas hereses sola interemisti, et angelus ad eam inquit: Ave gratia plena. Hec est enim porta in domo domini clausa, et per eam nobis est aditus in illam supernam domum. Ham et ideo nomen Eve matris dampnationis in ea transmutavit ingens: ave gratia plena d. t. quia pena et culpa in gratiam est transmutata. Quinta dicitur a tenendo, quia quicquid semel accepit firmiter tenet. Ps. Beati qui habitant in domo tua domine et cetera. Et hoc est irriguum superius quo obtento Axa filia Caleph cessavit a fletu, quia cum obtenta fuit illa terra non erit amplius fletus eo quod luctus et dolor non erunt ultra. Sexta dicitur terra a terrendo, quia terret immensitate suppliciorum. Apoc. Fumus tormentorum eorum ascendit in secula seculorum. Et infra. Ite in ignem eternum ubi erit fletus et stridor dentium. Sap. Extrema gaudii luctus occupabit. Hec est sepultura divitis, qui cum esset in tormentis elevans oculos vidit Abraham et Lazarum in sinu eius. Prima profert herbas et arbores seminales. Gen. Produxit terra herbam virentem et lignum pomiferum. Secunda profert spinas et tribulos vitiorum. Gen. Spinas et tribulos germinabit tibi terra. Tercia pullulat motus et germina virtutum ac bonorum operum. Paulus. Terra enim super se venientem bibens ymbrem generat herbam opportunam. Quarta produxit simul florem et fructum. Et infra. Benedictus fructus ventris tui, qui etiam de se ait in Cant. Ego flos campi et lilium convallium. Quinta germinat magnitudine premiorum. Ysaias. Oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit que preparavit deus diligentibus se. Et infra. In domo patris mei mansiones multe sunt. Paulus. Stella a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum. Daniel. Quasi stelle in perpetuas eternitates. Sexta generat diversitate suppliciorum. Iob. Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium.

[T]erremotus iudicie. tremor penitentie. tremor persecutionis immanis et tremor dampnationis eterne. Terremotus iudicie dicitur qui fit ad litteram, ut dum ad vindictam aliquorum. Ps. Deus cum egredieris coram populo tuo et cetera. Ad litteram enim fiebant terremotus et alia signa per que terram movebant et de eis fiebat vindicta. Et infra. Terra mota est et petre scisse sunt et cetera. Ad litteram enim tunc factus est tremor contra Dathan et Abyron. Numeri. Confestim ut cessavit loqui dirupta est terra sub pedibus eorum et aperiens os suum devoravit eos cum tabernaculis suis et substantia. Terremotus penitentie est quo movetur terra mentis humane ad penitentiam. Ps. Qui respicit terram et facit eam tremere. Ps. Dedit vocem suam et mota est terra. Et infra. Et ecce terremotus factus est magnus. Terremotus enim factus est in passione et in resurrectione, insinuans corda terrenorum per fidem passionis et resurrectionis ad penitenciam movenda. Iste tremor factus est contra illos de quibus legitur in Actibus. His auditis compuncti sunt corde et dixerunt ad apostolos: quid faciemus viri fratres? et cetera. Terremotus persecutionis immanis est persecutio ferventis. Apoc. Facta sunt fulgura et voces et terremotus et grando magna. Apoc. Exivit vox magna a throno dicens: Factum est. Et facta sunt fulgura et voces et tonitrua, et terremotus factus est magnus, qualis numquam fuit ex quo homines fuerunt super terram et cetera. Hic tremor fiet temporibus antichristi contra illos de quibus legitur in Apoc. Celum recessit ut liber involutus et omnes montes et insule de locis suis mote sunt. Et reges terre et principes et divites et fortes et omnis servus et liber absconderunt se in speluncis et petris montium et dicunt montibus et petris: cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum et ab ira agni. Hic est tremor ille de quo legitur in evangelio: Erit tanta tribulatio ut si fieri possit moveantur et celum. Terremotus ille dampnationis eterne erit confusio et terror gehennalis infelicitatis contra dampnatos. Apoc. Et in illa hora factus est terremotus magnus et decima pars civitatis cecidit et occisi sunt in terremotu nomina hominum vii milia et reliqui in timorem sunt missi. Hic tremor fiet contra dampnandos maxime cum audierint tremotum illum et terribilem vocem: Ite maledicti in ignem eternum. Quando sic legitur in Ecclesiaste: tenebrescet sol et luna quando commovebuntur custodes domus et nutabunt viri fortissimi. In terremotu autem solet esse timor et terror. Quia in terremotu iudicie est timor de obduratione et induratione eorum contra quos exercetur vindicta. Exod. Ille loquetur ad pharaonem